

## Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 47

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Otto dei gratia rex. Noverint omnes fideles nostri praesentes scilicet et futuri, qualiter nos ob amorem dei nostraeque animae remedium, Haganone nobis suggerente venerando Heroluesvuldensis coenobii abbate eodemque nobis concessionem antecessoris nostri scripto roboratam bonae memoriae Caroli praeferente, hoc idem praeceptum et renovare et nostra auctoritate corroborare decrevimus. Hoc est, ut in rebus ad Heroluesvuldense coenobium pertinentibus nullus episcopus missusve suus neque iudex publicus neque missi nostri mansionaticum exigant aut aliquid vi abstrahere praesumant nemoque episcoporum aut archidiaconorum monachos ibidem deo servientes lege canonica tangere praesumat; et quandocumque abbas eorum de hac luce migraverit, licentiam habeant inter se eligendi abbatem; quod si inter eos dignus non potest inveniri, potestatem habeant undecumque velint abbatem sibi conducere; et ut nullus hanc constitutionem infringere praesumat; ordinationes eis episcopus de Magontia absque munusculo faciat et tabulas benedicat; et si in ipso monasterio aliqua discordia evenerit, tunc ipse abbas et monachi de alio monasterio abbatem et episcopum sibi coniungant seque pacificent; quod si ibi non possint, tunc ad sinodum nostrum veniant. Et ut haec nostra concessio firmior permaneat, manu nostra eam firmavimus et anulo nostro sigillari iussimus. Signum domni Ottonis victissimi regis. Poppo cancellarius advicem Hiltiberti recognovi et . Data II non. nov. anno dominicae incarnationis DCCCCXXXV, indictione X, anno regni Ottonis piissimi regis I; actum in Alsteti; in dei nomine amen.